

G. K. 145, 20.

(X 200 1294)

Ya  
924

CATALOGUS  
Exercitiorum

TAM ORATORIORUM QUAM  
DISPUTATORIORUM

QUÆ,

JEHOVA DUCE ET LABORE COMITE,  
INTRA ANNI CIO DC XIX  
SPATIUM,

IN SUPREMA PÆDAGOGI

BUDISSINENSIS CLASSE  
INSTITUIT

M. Leonhartus Gensel  
Rector.,



EXSCRIPTUS

TYPIS ZIPSERIANIS.

12

VIRIS MAGNIFICIS  
NOBILITATE ERUDITIONE ET

prudentiâ florentissimis Dnn. Cofs. inclytæ Reipublicæ Budissinensis, ac  
cæteris ejusdem Senatoribus spectatissimis, Dnn. Patronis ac  
fautoribus suis ætatem colendis.

**Q**uemadmodum generosus belli Dux, ter-maximi Meccæ-  
nates, non solum in primordio functionis suæ summam rei militari locat  
operam, sed & eò collineat, ne, quam perspicientiæ iuxta ac solertiæ semi-  
tam cum laude pressit initio, deseruisse post videatur: ita etiam scholarum Antistites  
facere oportet. Nam & adversus Inscitiam & Barbariem concatenato studio cohortes  
educere, & quæ trophæa Palladiæ militiæ tirones impetrarint, ad clarum ostendere  
solem, nulli non obligantur. Contrarium qui moliuntur, præterquam quod datam  
violant fidem, non absq; gravi insimul conscientiæ stimulo vel legere vel audire co-  
guntur illas scripturæ minas: Maledictus, qui officium suum facit negligenter.  
Quæ omnia, cum accuratiori mentis statéra librarem, ab eo ipso die, quo Budif-  
sinentium Lycéo præesse cœpi, studiosæ iuventuti ad veram Eloquentiæ & Mi-  
nervæ arcem faces præferre pro viribus allaboravi vestro, Viri Magnifici, favore in-  
signi, & munificentia præclara ad maiorem in officio diligentiam & ulteriorem con-  
stantiam allectus sæpius. Quoniam verò huiusce industriæ specimen non sine bo-  
norum applausu ante annum publicavi, illud-ipsam hoc etiam attentare tempore, cū  
præsertim monitores habeam Viros Clariss. animū induxi meum. Quas igitur ma-  
terias tam ad declamandum quam disputandum anno supra sesquimillesimum  
centesimo decimo nono meis proposui discipulis, eas-ipsas iam hisce pagellis inserere  
volui, & literatoris orbis committere iudicio. Denuò autem vobis, Viri Amplissimi,  
hunc annuorum exercitiorum catalogum speciatim offero, partim ut videatis,  
me adhuc pristinæ diligentiæ vestigia legere, & eò anniti unice, quò magis magisq;  
vestrum apud externos etiam inclarescat Pædagogium, partim ut rogem, ne, quâ me  
cœpistis hucusq; faventiæ aura socillare, posthac desistatis. Benè ac feliciter valete, &  
Reipublicam inter hasce turbas nonnihil periclitantem prudentia vestra munite,  
erigite, defendite. Dabam è Muséo meo anno 1620.

Vestr. Magnif. Nobil. & Prud.  
observantissimus

M. Leonhartus Tensel Rector.





# Exercitia Oratoria

prolixiora.

I.

## DE PROBLEMATHE ISTHOC;

Utrum hæretici sint interficiendi?

- I *Matthaus Bulachius Lubenâ-Lusat. proæmit vice collationem auri velleris & eloquentiæ instituit, cum annexâ petitione ob audientiam.*
- II *David Vilitz Rathenoviâ-Marchicus ab affirmativâ problematis sententiâ stetit.*
- III *David Marthenius Stolpâ-Pomeranus partem probl. negativam defendit.*
- IV *Daniel VVanckius Glaciô-Silesius disceptantibus decisione subvenit.*
- V *Johannes Auwenius Soldinô-Marchicus auditorio pro presentia egit gratias.*

II.

## DE QUÆSTIONE ISTHAC; AN LUCRETIA

recte fecerit, quod sibimet manus intulit violentas?

- I *Rector de genuinâ viri eloquentis & disertis differentiâ ex Criticorum mente quedam est præfatus.*
- II *Bernhardus Lange Lucâ-Lusat. quæstionis partem affirmativam tutatus est.*

II 2

III Samuel

III Samuel Geisler Zittâ-Lusat. negativa sententia patrocini-  
um suscepit.

IV David Marthenius Stolpâ-Pomeranus Arbiter pro virili li-  
tigium veritatis caduceo tranquillavit.

V Rector gratiarum actione finivit actum, & ad similes conflictus  
studiosam exstimulavit juventutem.

### III.

## DE VERIS ET ADOLESCENTIÆ COMPARATIONE.

I Henricus Heidenreich Budiss. Lusat. excussis causis, ob quas Ze-  
no Dialecticam pugno, Rhetoricam verò palmæ assi-  
milavit, ab auditoribus attentionem petiit.

II Caspar Schlenckricht Budiss. Lusat. Veris descriptionem ex-  
hibuit.

III Johannes Leppinus Rathenoviâ-Marchicus cum Vere in-  
cunte primam Adolescentiæ partem contulit.

IV Josias Neander Lubenâ-Lusat. quomodo media Adolescen-  
tiæ portio cum adulto conveniat Vere, monstravit.

V Thomas Reiche Pritzwaldiâ-Marchicus ultimam Adoles-  
centiæ partem cum Vere præcipiti comparavit.

VI Bartholomæus Hettischius Budiss. Lusat. pro auscultatione be-  
nevolâ gratum pollicitus est animum.

### IV.

## DE PROBLEMATO ISTHOC; AN PAREN- tes habeant potestatem interimendi liberos?

I Rector præloquium de variis studiorum generibus instituit.

II Balthasar Thoma Gottaviâ-Lusat. partem problematis affir-  
mativam certis fundamentis manavit.

III Caspar Thoma Gottaviâ-Lusat. sententiæ negativæ patrocinat<sup>9</sup> est

IV Johan-

- IV Johannes Otto Thabor Budis. Lusat. iudicium suum interposuit.  
 V Rector gratiarum actione colophonem actui addidit, & ad pariles conatus discipulos est adhortatus.

V.

DE QUÆSTIONE ISTHAC; AN CHRISTIANI  
 saluâ conscientia bella possint gerere?

I David Marthenius Stolpâ-Pomeranus Præses thema proposuit, ejusdemq; discussionem efflagitavit.

II Adamus VVinckler Lauchâ-Misnicus

III Johannes Faber Picenâ-Lusatius

IV Jacobus Spitz Rondenburgô-Misnicus

V Johannes Hentzsche Lucowaldâ-Saxo

VI Christianus Leopoldus Ortrandia-Misn.

VII Martinus Sommer Lippâ-Bohemus

VIII Andreas Unger Augustiburgo-Misnicus Judex decisionem publicavit.

IX David Marthenius Stolpâ-Pomeranus Præses Judici calculum adjecit suum, & Assessoribus pro impenso labore gratias egit.

Assess. } I Affirmati-  
 II vâ senten-  
 III tiâ defend.  
 IV Negativam  
 V partem pro-  
 VI pugn.

VI.

DE LINGVIS.

I Andreas Lheman Budis. Lusat. exordio ex ipsius actus visceribus desumpto, Linguas cum faculâ illâ, quam Ero de fenestrâ Leandro suspendit, breviter comparavit, & unâ ab auditoribus auscultationem petiit germanicè.

II David Vilitz Rathenoviâ-Marchicus de Linguarum honestate peroravit latinè.

III Bernhardus Lange Lucâ-Lusatius necessitatem Linguarum ostendit hebraicè.

A 3

IV Jacobus

- IV Jacobus Gabriel Budiss. Lusatus de Linguarum utilitate, quam illæ in superiores diffundunt facultates, declamavit græcè.*
- V Johannes VViseus Paterniò-Carinthius Linguarum utilitatem in Philosophiâ monstravit italicè.*
- VI Caspar Thome Gottaviâ-Lusatus de Linguarum jucunditate verba fecit vandalicè.*
- VII Petrus Pistorius Freienwaldâ-Marchicus auditorio pro præsentia obsequentiam obtulit debitam germanicè.*

**VII.**  
**DE PROBLEMATÈ ISTHOC; AN**  
**Herodes rectè fecerit, quod infanticidium instituit?**

- I Martinus Höpner Goldensteiniò-Moravus Præses causam conventus cum thematis propositione indicavit.*
- II Johannes Vilitz Rathenoviâ-Marchicus Assessor I Herodem justè instituisse infanticidium demonstravit.*
- III Johannes Koggius Bernoâ-Marchicus Assessor II sententiam antecessoris sui defendit.*
- IV Samuel Geisler Zittâ-Lusatus Assessor III Herodem propter infanticidium summa accusavit injustitiæ.*
- V Johannes Otto Thabor Budiss. Lusatus Assessor IV sententiæ antecessoris sui adstipulatus est.*
- VI Johannes Leppinus Rathenoviâ-Marchicus Judex controversiam decidit.*
- VII Martinus Höpner Goldensteiniò-Moravus Præses Judici assensum præbuit, & Assessoribus pro navatâ operâ memoriam pollicitus est animum.*

Exercitia

# Exercitia Oratoria

breviora.

- I Rector, cum extraordinariè sed tamen publicè Philosophiam per theorematà & problematà prelegere auspicaretur, de illius dignitate utilitate & jucunditate peroravit.
- II Jacobus Gabriel Budiss Lusatus de sacrâ Scripturâ declamationem habuit.
- III Tobias Thabor Budiss. Lusatus ἀυτοχειρίαν fortitudinis esse speciem demonstravit.
- IV Idem verâ veræ fortitudinis laude ἀυτοχειρίαν certis de causis privavit.
- V Idem, quid sentiendum de duabus à se habitis orationibus, perspicuè exposuit.
- VI Martinus Höpner Goldensteiniò-Moravus de DEO uno & trino verba fecit.
- VII Petrus Donatus Mückenbergâ-Misnicus Grammatices studium condiscipulis dissuasit.
- VIII Jacobus Spitz Rondenburgò-Misnicus antecessoris sui orationem destruxit & contrariam sententiam firmis probavit fundamentis.
- IX David Lange Selò-Marchicus Simsonis vitam & obitum carmine heroico celebravit.
- X Bernhardus Lange Lucâ-Lusatus de Persona Christi dissertationem habuit.
- XI Felix Agricola Islebiò-Turingus, liberalem juventutis informationem à primis statim annis procurandam esse, demonstravit.
- XII Zacharias Zichorius Hojerswerdâ-Lusatus Themistoclis encomium in oratoriâ publica vit palæstrâ.

XIII Abraham

- XIII *Abraham Glaser Fribergâ-Misnicus Cuculi vituperium recitavit.*
- XIV *Martinus Sommer Lippâ-Bohemus de Angelis bonis & malis orationem exhibuit.*
- XV *Caspar Schlenckricht Budiss. Lusatus Conorum lusum dilaudavit.*
- XVI *David Marthenius Stolpâ-Pomeranus de Humilitatis studio unicè amplectendo dixit.*
- XVII *Bernhardus Lange Lucâ-Lusatus laudes Pallados versibus heroicis decantavit.*
- XIIX *Johannes VVissaus Paterniô-Carinthius declamationem de Imagine DEI in oratoriam produxit scenam.*
- XIX *Samuel Geisler Zittâ-Lusatus aliquot argumentis palàm fecit, Jesuitas malo jure se de nomine JESU vocitare.*
- XX *Idem Jesuitarum in dictâ causâ suscepit patrocinium.*
- XXI *Idem, quid statuendum de duabus à se recitatis orationibus, planè ac plenè ostendit.*
- XXII *Rector, cum denuò Dialecticam Melanchthonianam auspicaretur illustraturus eandem tam explicatione & usu, quàm objectionibus potioribus, Philippi & Aristotelis, quoad presentem materiam, instituit comparisonem.*
- XXIII *Zacharias Zichorius Hojerswerdâ-Lusatus Thucydidis laudes deprecavit.*
- XXIV *David Vilitz Rathenoviâ-Marchicus de Spiritus Sancti personâ & officio carmen heroicum proposuit.*
- XXV *Caspar Schlenckricht Budiss. Lusatus de Peccato peroravit.*
- XXVI *Adamus VVinckler Lauchâ-Misnicus Arithmeticam vituperavit.*
- XXVII *Johannes Castnerus Zilantiô-Marchicus numerandi scientiæ*

entiæ



entia maculas iniustas absterfit, & eâ ipsâ nihil præstantius, utilius nihil, nihil jucundius in mundi hujus exterre theatro, docuit.

XXXIX Caspar Thome Gottaviâ-Lusatius encomium Hirundinum celebravit.

XXIX Georgius Jäschke Bregâ-Silesius de libero hominis arbitrio pro ingenii modulo declamavit.

XXX Martinus Höpner Goldensteiniô-Moravus Sobrietatis effigiem oratoris illustratam pigmentis in declamatorio exhibuit asceterio.

XXXI Andreas Kiesling Budiss. Lusatius Homeri vitam descripsit.

XXXII Johannes Vilitz Rathenoviâ-Marchicus de Sufannâ carmen heroicum decantavit.

XXXIII Felix Agricola Islebiô-Turingus in loco de Lege DEI facundia sua periclitatus est vires.

XXXIV Andreas Neumeister Spondaviâ-Marchicus Intemperantiæ mala vivis depinxit coloribus.

XXXV Johannes Otto Thabor Budiss. Lusatius invektivâ oratione persecutus est mulieres.

XXXVI Idem, antecedente declamatione refutatâ, fœmineo sexu nihil nobilius, utilius nihil, nihil suavius esse, liquidò demonstravit.

XXXVII Christianus Leopoldus Ortrandiâ-Misnicus de Evangelio verba fecit.

XXXVIII Samuel Geisler Zittâ-Lusatius Pigritiæ vituperium recitavit.

XXXIX Georgius Jäschke Bregâ-Silesius rationes aliquot, propter quas studiosis adolescentibus carceris tam scholastici quàm civici pœna curiosè devitanda, in declamatoriâ explicuit cathedrâ.

- XL Rector aurea Pythagoræ carmina notis Philologicis illustraturus prædicto auctori Epitaphium oratorium erexit.
- XLI Martinus Höpner Goldensteiniô-Moravus de Justificatione hominis peccatoris coram DEO dixit.
- XLII Johannes Otto Thabor Budiss. Lusat. Divitum naturam & fortunam versibus heroicis proposuit.
- XLIII Jacobus Gabriel Bud. Lusat. de Prædestinatione peroravit.
- XLIV Wolfgangus Nicolai Augustiburgô-Misnicus Divi Bartholomæi encomium exhibuit.
- XLV Andreas Neumeister Spandaviâ-Marchicus de Ministerio ecclesiastico dissertavit.
- XLVI Balthasar Thoma Gottaviâ Lusat. Rhetorici studii tractationem aliquot fundamentis suasit condiscipulis.
- XLVII Johannes Koggius Bernoâ-Marchicus de Pœnitentiæ essentia & necessitate declamavit.
- XLVIII Johannes Vilitz Rathenoviâ-Marchicus Ebrietatis incommoda modo oratorio docuit.
- XLIX Jacobus Gabriel Budiss. Lusat. de Baptismo dissertationem recitavit.
- L Martinus Sommer Lippâ-Bohemus de Aristotelis vitâ & obitu orationem proposuit.
- LI Jacobus Spitz Rondenburgô-Misnicus de Cœnæ Dominicæ causis locutus est.
- LII Andreas Neumeister Spandaviâ-Marchicus Ciconiarum laudes in declamatoriâ ostendit scenâ.
- LIII Caspar Thoma Gottaviâ Lusat. Magistratus politici tam dignitatem quam utilitatem deprædicavit.
- LIV Georgius Jäschke Bregâ-Silesius de Nativitate Christi specimen poeticum edidit.
- LV David Vilitz Rathenoviâ-Marchicus de Morte, ejusdemq; certitudine orationem formavit.

LVI *Idem* Immortalitatem animæ humanæ firmis adstruxit  
 fundamentis.

LVII Tobias Thabor Budiss. Lusatus artem Musicam decenti com-  
 mendatione exornavit.

LIX Balthasar Thomæ Gottaviâ. Lusatus Ovidii laudes ex Me-  
 moriæ phano mutuò acceptas noviter Rhetorum cerussâ poli-  
 vit, & auditoribus obtulit.


LIX Petrus Donatus Mückenbergâ. Misnicus de mortuorum  
 Resurrectione verba fecit.

LX Johannes Koggius Bernoâ. Marchicus Diligentia laudes  
 celebravit.

LXI Christianus Leopoldus Orrandiâ. Misnicus extremi Judicii  
 processum delineavit.

LXII Martinus Sommer Lippâ. Bohemus Superbiæ buccinato-  
 rem egit.

LXIII Andreas Lheman Budiss. Lusatus Antagonista præcc-  
 dentis fæditatem & incommoda Superbiæ delineavit.



## Exercitia disputatoria

ex

Philologiâ, Rhetoricâ, Physicâ & Theologiâ  
 depromta.

I.

**A**n juvenis nominari possit cælebs?  
*Utrum Parca dicantur, quod minimè parcant: Lucus, quod  
 minimè luceat: Bellum, quia minimè bellum, ut vult Kecker-  
 mannus lib. 1 Log. pag. 217: Ludus à non ludendo: Dis, quia  
 minimè dives, ut censet Ramus lib. 1 Dial. cap. 24 ex Quintil.  
 lib. 1 cap. 6.*

*An cælum rectius per e, vel per æ, aut per œ scribatur?*

*Utrum Rhetorica derivetur à verbo ῥῆω?*

*An Eloquentia & Rhetorica unum idemq; sint?*

*Utrum Rhetorica propriè artis nomen obtineat?*

*An Philosophia in Pedagogiis celebrioribus sit docenda?*

*Utrum Philosophia perfectè possit definiri?*

*An Philosophia rectè dividatur in Theoreticam & Practicam?*

*Utrum Lutherus excusari possit, quòd appellationem liberi non raro mutet in appellationem servi arbitrii?*

*An homo ex naturalibus viribus aliquid ad sui conversionem conferre queat?*

*Utrum rectè dicatur, quod homo in conversionis actu similis sit lapidi?*

## II.

*An Mercuri & Virgili, quando pronunciantur, penultimam producant?*

*Utrum Hebraea lingua sit fons & parens cæterarum?*

*An in latino sermone illud vocabulum, quoad originem, prius sit, quod pauciores habet syllabas?*

*Utrum Rhetorica exstet pars Philosophia?*

*An disciplinarum instrumentalium omnium sit angustissima Rhetorica, ut vult Zabarella lib. 2. de nat. Log. cap. 13 & 14?*

*Utrum Rhetorica ante Logicam in scholis sit proponenda?*

*An Philosophia pugnet cum Theologia?*

*Utrum Physica sit scientia?*

*An corruptio rectè principium corporis naturalis dicatur?*

*Utrum verbum DEI auditum & prædicatum sit conversionis causa & medium?*

*An Lex in Ecclesiis docenda & adhuc auditoribus inculcanda?*

*Utrum DEUS dederit legem in monte Sinai, quæ possit servari?*

III. An

III.

*An vocabulum virgo, ei etiam apud classicos autores competat, quæ peperit?*

*Utrum Scabini rectè dicantur quasi scamini, quòd in scamnis considerant?*

*An prisca Grecorum, ut vulgò jaçtatur, pronunciatio, in scholis usurpanda?*

*Utrum Rhetorica pars sit Dialectices?*

*An finis Rhetorices in persuasione consistat?*

*Utrum Rhetorica ex mente Quintiliani lib. 2 cap. 15 rectè dividatur in artificem artem & opus?*

*An detur materia prima?*

*Utrum admitti possit forma prima?*

*An statuenda sit privatio prima?*

*Utrum Lex forensis sit abrogata?*

*An Lex arguat etiam eos, qui fiduciam suam non plenariè collocant in Christum?*

*Utrum renati legem DEI impleant?*

IV.

*An apud Hebræos, doctrina gratiæ, nomen possit antecedere verbum?*

*Utrum Poetis Christianis fictitia Deorum Dearumq; nomina ponere in carminibus liceat?*

*An eulogium ellogium elogium & eclogium unam eandemq; obtineant significationem?*

*Utrum res tam theoreticæ quàm practicæ sint objectum Rhetorices?*

*An verè eloquens sit ille, qui nunquam præcepta Rhetorices didicit?*

*Utrum tractatio de inventione ad Rhetoricam pertineat?*

*An natura sit præstantior arte?*

*Utrum Aristotelica motus definitio etiã competat rebus artificialib?*

*An quantitas ullas producat operationes?*

*Utrum Adam in statu innocentia, si legi prastitisset perfectam obedientiam, per illam justificari potuisset?*

*An Evangelium etiam fuerit notum in veteri testamento?*

*Utrum Evangelium contineat leges?*

V.

*An anathema, quando pro re abominabili ponitur, penultimam habeat productam?*

*Utrum justitia dicatur à jure?*

*An vocula nemo de solo homine usurpetur?*

*Utrum prius in Rhetoricis proponenda doctrina de elocutione, an verò de inventione?*

*An memoria pertineat ad officia oratoris?*

*Utrum sex sint orationis partes?*

*An locus possit definiiri?*

*Utrum Angeli existant in tempore?*

*An cælum habeat materiam?*

*Utrum Evangelii promissiones ad unam omnes sint gratuite?*

*An Evangelium rectè nominetur concio penitentia?*

*Utrum verbum justificare significet alicui habitum justitiæ infundere?*

VI.

*An Jupiter & heluo prima producenda gratiâ p & l geminent?*

*Utrum Græci jota habeant pro consonante?*

*An vocula pandectæ sit fœminini generis?*

*Utrum tria sint causarum genera?*

*An omnes orationes ad unum ex tribus causarum generibus possint referri?*

*Utrum genus deliberativum rectè apud Aristotelem primum obtineat locum?*

An

*An motus cœli sit ab Intelligentiis?*

*Utrum cœlum agat in hæc inferiora?*

*An orbis dentur in cœlo?*

*Utrum per gratiam DEI intelligatur habitus caritatis infusus?*

*An Christus satisfecerit pro peccatis hominum?*

*Utrum tam activâ quàm passivâ Christi obedientiâ simus justi?*

## VII.

*An præpositio de in compositione semper diminutionem denotet?*

*Utrum beth per f sit reddendum?*

*An puta, quando adverbialiter usurpatur, habeat ultimam brevem?*

*Utrum genus demonstrativum rectè apud Aristotelem insequatur deliberativum?*

*An orationes, in quibus fictitia Ethnicorum numina commendantur, ad genus demonstrativum pertineant?*

*Utrum genus judiciale meritò inter cetera ultimum obtineat locum?*

*An stellæ sint partes cœli integrales?*

*Utrum detur ignis elementaris?*

*An aer sit elementum humidissimum?*

*Utrum Christus sit justitia nostra secundum utramq; naturam?*

*An solâ fide homines salventur?*

*Utrum Prædestinationis vocabulum malis etiam possit attribui?*

## IIIX.

*An vocula Sathanas vitiosè per th scribatur?*

*Utrum DEUS noster gloriosus rectè à nonnullis optimus-maximus dicatur?*

*An licitum sit immiscere græca latinis, & versus prose orationi?*

*Utrum septem illi confirmationis loci in statu juridicali ad Rhetoricam pertineant?*

*An propterea, quia in genere juridicali non rarò occurrunt demonstratio & deliberatio, isthæ fiant partes illius?*

*Utrum*

*Utrum status definitivus in Logicis potius quam Rhetoricis proponendus?*

*An aquæ locum suum jam habeant naturalem?*

*Utrum terra sit elementum frigidissimum?*

*An doctrina de meteoris conveniente loco proponatur in vulgari-  
bus Physiologia libellis?*

*Utrum D E U S ita sit misertus generis humani, ut voluerit omnes  
salvos?*

*An meritum Christi sese extendat ad omnes homines?*

*Utrum vocatio sit universalis?*

IX.

*An Johannes rectius cum h an verò absq; h scribatur?*

*Utrum ὁ κάμηλ & apud Matthæum cap. 19 v. 14 funem denotet?*

*An Jovis verus sit genitivus vocule Jupiter?*

*Utrum in scholis utile sit adolescentibus in genere judiciali ad ela-  
borandum proponere themata?*

*An genus judiciale locum etiam habeat in templis?*

*Utrum tractatio de affectibus in Rhetoricis sit instituenda?*

*An meteora ad substantiarum an verò ad accidentium classem re-  
ferri debeant?*

*Utrum ille impressiones, quæ sub terrâ fiunt, rectè meteororum no-  
mine veniant?*

*An stryges tonitrua efficere possint?*

*Utrum electio sit particularis?*

*An respectu fidei contigerit electio?*

*Utrum electio in Christo sit facta?*

X.

*An sponendi an verò sponendi dicendum?*

*Utrum vocabulum Jehova ante exitum Israelitarum ex Ægyp-  
to fuerit notum?*

*An*



*An praestolor habeat penultimam brevem?*  
*Utrum doctrina de elocutione sit necessaria?*  
*An differant inter se elocutio poetica & oratoria?*  
*Utrum Dn. Philippus rectè statuatur tres elocutionis partes, sermonem  
scilicet grammaticum, figuram & amplificationem?*  
*An campanarum pulsu tempestates fugari possint?*  
*Utrum Draco volans, & ignis tam fatuus quam lambens sint res  
naturales?*  
*An cometa, circulus lacteus & mare sint meteora?*  
*Utrum electi possint excidere gratiâ DEI?*  
*An ea sint bona opera, quae quis bonâ intentione ipsemet excogitat?*  
*Utrum gentilium opera sint peccata?*

XI.

*An alicujus rei essentia semper ex appellatione hebraea accuratè  
cognosci possit?*  
*Utrum genitrix an verò genetrix scribi debeat?*  
*An, quia Cicero multissimus dixit, & nobis hoc superlativo utendum?*  
*Utrum doctrina de figuris rectè in Rhetoricis proponatur?*  
*An certus figurarum numerus dari possit?*  
*Utrum metaphora sit in una saltem voce?*  
*An iris fuerit ante diluuium?*  
*Utrum stella, quae Magis apparuit, fuerit meteorum?*  
*An quaedam illarum exhalationum, quae concurrunt ad generatio-  
nem terremotus, generatae sint à radiis solaribus?*  
*Utrum bona opera promereri possint vitam aeternam?*  
*An bona opera sint necessaria ad salutem?*  
*Utrum dubitandum sit de gratia DEI?*

XII.

*An vocabulum numus per unicum in probè scribatur?*  
*Utrum titillo & macero primam habeant longam?*

*An mercedis vocabulum apud classicos autores semper præsupponat meritum?*

*Utrum in Rhetoricis non sint plures, ut volunt nonnulli, quàm quatuor tropi?*

*An onomatopœia sit tropus?*

*Utrum jam liceat ὀνοματωποιεῖν?*

*An metalla sint animata?*

*Utrum in metallorum generatione natura semper intendat aurum?*

*An Chymici artis suæ beneficio verum ac naturale aurum possint producere?*

*Utrum bona opera conseruent fidem?*

*An renati, sicubi lapsi fuerint, denuò ad gratiam redire queant?*

*Utrum contritio & fides sint partes pœnitentiæ essentielles?*

### XIII.

*An ille bonus Ciceronianus sit, ut loquuntur, qui phrases hinc inde ex Cicerone compilatas usurpat?*

*Utrum versifex & poeta differant?*

*An Homerus fuerit cecus?*

*Utrum hypallage sit tropus, ut vult Keckermannus lib. 2 Rhetorices cap. 7?*

*An hyperbole sit mendacium?*

*Utrum climax apud Rhetores distinguatur à sorite?*

*An plantæ sensu sint præditæ?*

*Utrum doctrina de animâ pertineat ad Physicam?*

*An potentia animæ differant ab ipsâ animâ?*

*Utrum Papistica confessio, ubi statuitur omnium peccatorum enumeratio singularis, sit probanda?*

*An contritio aliquid promereatur?*

*Utrum quis satisfaciat pro peccatis, si eadem apud Ecclesie ministrum cum expressis dolorum indicibus enarret?*

XIV. An

XIV.

*An vocula caro de vivente usurpata apud classicos etiam autores  
reperiatur?*

*Utrum Persius & Horatius, quorum ille primam in nomine melos  
produxit, hic corripuit, conciliari possint?*

*An anagrammatisimi probandi?*

*Utrum doctrina de exemplo solum sit peculii oratorii?*

*An detur numerus oratorius?*

*Utrum extemporanea oratio sit probanda?*

*An anima brutina una cum destructione compositi intereat?*

*Utrum anima humana sit ex traduce?*

*An vera & completa hominis forma sit anima rationalis?*

*Utrum confessio auricularis apud Lutheranos sit probanda?*

*An pastor de speciali quodam casu in confessione queat inquirere?*

*Utrum à Magistratu interrogatus pastor teneatur manifestare ea,  
que in confessione dicta?*

XV.

*An numerus multitudinis rectè ad unum designandum usurpetur?*

*Utrum particula dicitur adnotet semper possibilitatem vel ter-  
minum rei illius, cui apponitur?*

*An prepositio per non nisi causam instrumentalem subinferat?*

*Utrum tria existant dicendi genera?*

*An floridum illud dicendi genus, quo nonnulli hodiè in autoribus latinis  
versatissimi utuntur, planè novum sit, & prisco ævo inauditum?*

*Utrum doctrina de actione, quam quidam circa finem preceptorum  
rhetoricorum proponunt, sit necessaria?*

*An anima hominis sit immortalis?*

*Utrum anima humana à patre tantum, an verò à patre & matre  
simul propagetur?*

*An anima hominis in toto corpore & in singulis simul partibus tota sit?*

*Utrum detur ministerium Ecclesiasticum?*

*An licitum sit petere ministerium?*

*Utrum peculiaris vocatio requiratur ad ministerium Ecclesiasticum?*

XVI.

*An ilex ab electione dicta?*

*Utrum vocula, quæ in græca lingua habet u ψιλόν, si transferatur in latinam, rectè per i exaretur?*

*An solennis an verò solemnus scribi diciue debeat?*

*Utrum actio solummodo consistat in pronuntiatione?*

*An adolescentes à primis statim annis ad decoram actionem sint assuefaciendi?*

*Utrum lectio neotericorum Oratorum conducat Eloquentiæ candidatis?*

*An anima sit in corpore tanquam in loco?*

*Utrum duplex reperiatur in homine vita, altera animæ, altera corpori propria?*

*An intellectus cognoscat etiam singularia?*

*Utrum vocatio ministerii pertineat ad totam Ecclesiam?*

*An semper aliqua Ecclesia exstiterit?*

*Utrum impii etiam sint membra veræ Ecclesiæ.*

XVII.

*An Evangelium primam habeat correptam?*

*Utrum vocis alicujus compositio, quæ fit ex diversis linguis, queat approbari?*

*An Jesus planè novum sit nomen, ita, ut nemo fuerit eodem appellatus in veteri testamento, quemadmodum vult Galatinus lib. 3 de arc. cathol. verit. cap. 20.*

*Utrū Eloquentiæ studiū an verò Poesicæ prius floruerit apud veteres?*

*An Poetica juvet Oratoriam?*

*Utrum apud priscos Oratoria Poeticæ fuerit prelatæ?*

*An*

*An visio fiat per emissionem radiorum?*

*Utrum odores materialiter an verò per speciem ad sensorium proprium deferantur?*

*An concedi possit sensus sextus, ut vult Scalig. exerc. 286 s. 3.*

*Utrum detur Ecclesia invisibilis?*

*An non-baptizati ad Ecclesiam pertineant?*

*Utrum Ecclesia possit deficere & errare?*

### XIIX.

*An sc, sp, st, proximè-antecedentis dictionis vocalem naturam brevem in compositione carminis producant?*

*Utrum origo voculae almanach ex sancta lingua monstrari queat?*

*An scribendum sit exsequor & exspiro, an verò comittendum?*

*Utrum Rhetorica Ecclesiastica peculiare requirat systema?*

*An ornatus rhetoricus à concionibus sacris removendus?*

*Utrum deceat Oratorem crebrioribus uti allegatis?*

*An memoria sit etiam rerum presentium?*

*Utrum infantes in utero materno somnum capiant?*

*An somnia quedam divinitus imitantur?*

*Utrum pura verbi divini predicatio & legitima Sacramentorum administratio nota sint verae Ecclesiae?*

*An Ecclesia Romanensium rectè possit dici catholica?*

*Utrum Pontifex Romanus sit Antichristus?*

### XIX.

*An Christus conciones suas Syriaco idiomate peregerit, ut sentit Alstedius in proœmiolo lexici Syriaci super novum testamentum?*

*Utrum solæcismus sit figura Grammatica?*

*An modus verborum gerundivus in do pro cuiusvis arbitrio corripitur queat?*

*Utrum Orator quatenus Orator occupatus etiam esse possit in commotione affectuum malorum?*

*An in epistolarum scriptione negligere debeamus cultum & curam, quemadmodum statuere videtur Lipsius cap. 9 epist. instit.?*

*Utrum oratio, quæ habenda est ad populum, de verbo ad verbum sit ediscenda?*

*An in statu innocentie etiam somnus concedendus?*

*Utrum cor sit πρῶτον αἰσθητικόν?*

*An odores habeant vim nutriendi?*

*Utrum dentur in Ecclesia res mediae?*

*An istis Ecclesiis, quæ tolerant imagines, idololatriæ crimen, de sententiâ Sacramentariorum, possit impingi?*

*Utrum illi, qui se de nomine Lutheri appellant Lutheranos, peccent?*

## XX.

*An minus latinè dicatur mea coqua, ut opinari videtur Goclenius probl. Grammat. lib. 3, probl. 25?*

*Utrum ij, qui in sermone aliquid perperam prolatum corrigere volunt, melius hoc faciant per verbum inquam, an verò per has voculas id volui dicere?*

*An cecutio & frigitio u habeant breve?*

*Utrum artis mnemonica præcepta in Rhetoricâ sint proponenda?*

*An conducatur imaginum adminiculo orationes memoria insigere?*

*Utrum tempore Ciceronis fuerit ars mnemonica?*

*An mors perfectam admittat definitionem?*

*Utrum mors sit naturalis?*

*An homo vite suæ terminum abbreviare vel prolongare possit?*

*Utrum Exorcismus quibusdam Ecclesiis confessioni Augustanae ad dictis usitatus cum ceteris adiaphoris queat tolerari?*

*An fractio panis in actione cœnæ Dominicæ sit res media & libera?*

*Utrum vestes ille alba & similes, quibus utuntur nostratum Ecclesiarum ministri, ad classem adiaphorum possint referri?*

EPILO.

# EPILOGUS

ad

## LECTOREM.

**A**tq; sic, quisquis es mi Lector, operas, quas cum disciplina mea consecratis in arte tam oratoriâ quam disputatoriâ superiore expedivi anno, brevi intuitus es oculo. Citius quidem promissis stare, mens-animi erat; quia tamen speciminis hujusce publicatio certis de causis dilata, moram hanc noli ægrè ferre. Tuum erit exinde de laborum scholicorum sarcinâ candido iudicare affectu, nec illis credulam adicere aurem, qui secus statuunt. Profectò in tantâ materiarum varietate, quæ & discipulis proponenda & sub emendationis ac disquisitionis incudem revocanda, non mirum esset, si interdum & res & vires me deficerent; quippe, qui assidua lectionum meditatione, & aliis officii occupationibus cæteroquin sum districtissimus. Sed largiter suam hucusq; ostendit potentiam summus Jehova; cui idcirco in pectoris mei sacrario æternas gratiarum destino aras. Præterea non est, quod arbitreris, multa tractari hic, quæ supra studiose iuventutis captum. Veni in nostram palæstram, tunc videbis, ibidem eò collineari unice, ut & politioris literaturæ fundamenta probe ponant alumni, & qui in illis exercitati, ad magis ardua manu quasi ducantur. Quemadmodum enim diversæ ætati diversus ferculorum apparatus convenit: ita cum ingeniis comparatum. Aliiter qui sentit, & optimum adolescentiæ florem, præter rem etiam, in tædiolis remoratur minutiis, deceptoris potius, quam præceptoris meretur nomen. Sed hic manum de tabulâ. Tu vale, & illud Orosii crebrius tecum meditare: Invidi atq; maligni vitioso oculo vident, & confusi caligine nequitiae in id cadunt, ut minus videndo plus videant; cum tamen id quod est, ita ut est, videre non possint. In tantum enim captum cor obliquat invidia, ut rectum natura non videat.



9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50  
51  
52  
53  
54  
55  
56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66  
67  
68  
69  
70  
71  
72  
73  
74  
75  
76  
77  
78  
79  
80  
81  
82  
83  
84  
85  
86  
87  
88  
89  
90  
91  
92  
93  
94  
95  
96  
97  
98  
99  
100

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*

107





C. K. 145, 20.

CATALOGUS  
Exercitiorum

TAM ORATORIORUM QUAM  
DISPUTATORIORUM

QUAE,

JEHOVA DUCE ET LABORE CO

INTRA ANNI CIO IDC XIX

SPATIUM,

IN SUPREMA PÆDAG

BUDISSINENSIS CLASS

INSTITUIT

M. Leonhartus Gen

Rector.,



EXSCRIPTUS

TYPIS ZIPSERIANIS.

